



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt LVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

stolica sedis præcellens auctoritas per suas literas in Anglia ac Scotia regnis simul alicui legationis committit officium exequendum, vel pro quavis causa, quam rationabilem reputat, decima solutionem indicit, hujusmodi apostolica litera ad præfatum Scotia regnum se aliquatenus non extendunt, speciali prædictæ sedis privilegio Scotis indulto penitus obsistente; prout tempore felicitæ recordationis Adriani Pape prædecessoris nostri, tunc Adriani Diaconi Cardinalis, & per ipsius sedis literas simul in regnis ipsis Legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter. Nam Legatus ipse ad præfatum regnum Scotie admissus non exitit donec per literas apostolicas speciales sibi legationis fuit commissum officium in eodem.

VII. Ratio autem cur Scoti nolent comprehendi sub generali Angliæ legatione, hæc erat, quia regnum eorum divitum erat ab Anglia, & quia ex quo fidem Christianam Scoti suscepissent, (ut in conventu apud Northamptoniam disseruit Gilbertus, qui dein Episcopus fuit Cathenensis, anno MCLXXVI.) Scotia libera fuerat, & nulli extra suam regionem, præterquam uni Romano Pontifici veluti Christi Vicario, subiecta. Vnde & Clemens III. & Celestinus III. alique deinceps Pontifices decernunt ut Scotiana Ecclesia apostolicæ sedi, cujus filia specialis existit, nullo mediante debeat subjacere. Hinc Gregorius IX. eò se circa regnum Scotiæ majorem curam gerere teneri ait quò fortius Ecclesia Scotiana Romanam Ecclesiam solam matrem & metropolitana nullo medio recognoscit.

CAPVT LVIII.

Synopsis.

I. Legatus in Galliam mitti non potest nisi ad postulationem Regis, vel cum consensu ejus. Non potest exercere facultates suas nisi quatenus Regi placuerit. Intactas præstare debet libertates regni. Facultates ejus examinantur in suprema Parlamenti curia; ubi modificantur, si res ita postulat. Tum demum illis nititur, si Rex permittat.

II. Hæc consuetudo fuit observata antiquitus. Ostendendum est illud ipsum exemplis posteriorum seculorum.

III. Cum anno 1456. Callistus III. Legatum destinasset in Galliam, Rex Karolus VII. jurata gratia obtinens noluit ei concedere ut Legati auctoritate uteretur. Insignibus tamen Legati permissus est uti. Ista verò ita suscepta à Legato sunt.

IV. Eundem legationis sua exitum habuit Julianus Cardinalis, quem Sixtus IV. miserat ad Ludovicum XI. Magnifice tamen habitus est pro more Legatorum.

V. Nicolaus Episcopus Mutinensis cum amplissima potestate Legati veniens in Franciam, Regi Lu-

dovico XI. in primis significare curavit nolle se uti auctoritate sua absque consensu ejus, neque aliquid agere adversus jura regni aut libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ. Quod literis manu sua subscriptis confirmavit. Ita permissus est Legatus ut facultatibus suis modificatis & inflexis.

VI. Sixtus mittens iterum Julianum in Galliam, primum Ludovici Regis consensum elicere studuit. Propter istum consensum, quem Rex præstitit, Legatus permissus est uti insignibus Legati, non tamen in præsentia Regis. Factum id salvo jure & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Qua de re literas suas dare jussus est Legatus.

VII. Littera ille non extant. Attamen in indiculo Petri Doriote Cancellarij refertur Legatum Regi dedisse literas manu sua ac duorum Secretariorum subscriptas, quibus declarabat gratiam sibi à Rege factam trahi non posse in consequentiam, neque ex ea ullum præjudicium afferri juribus & privilegijs Regis aut regni.

VIII. Cum deinde Balua Cardinalis iniusta & absque consensu Regis præsumeret uti auctoritate Legati in Gallia, multaque insolenter ageret adversus sanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, intercessit Nanterra, emissa appellatione. Tandem tamen Balua uti permissus est facultatibus suis.

IX. Missus est ad restaurandam disciplinam ecclesiasticam. Quod cum aggredi tentaret, onere illo levatus est ab Episcopis Gallicanis, qui curam illam in se susceperunt. Quod indignum visum est Sixto IV. & sacris canonibus bonæque consuetudini regnans. Itaque adversus eos scripsit ad Ducem Bourbonij.

X. Inutile esset omnia persequi quæ posterioribus temporibus acta apud nos erga Legatos sunt. Reliquum igitur est ut nonnulla dicamus de moribus Hispanorum. Facultates Legatorum ac Nuntiorum apostolicæ sedis illic examinantur à supremo Regis Consilio, ne quid fiat in rei publicæ dispendium. Quod probatur auctoritate Didaci Covarruvæ & aliorum auctorum.

XI. Equum prima fronte videtur ut is qui in provinciam venit cum potestate extraordinaria, silem faciat auctoritatis suæ. Legatus ergo non est tanquam Legatus recipiendus, nisi primò visis legationis suæ literis. Et ita servatur in regno Francia, ut observat Boerius.

XII. Epilogus eorum quæ dicta hæcenus sunt de Legatis.

I. INTER axiomata libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, illud constantissimum est, non posse Summum Pontificem mittere in Galliam Legatos à latere, cum facultatibus amplissimis, nisi ad postulationem Regis, vel cum consensu ejus, Legatum porro uti non posse facultatibus suis donec scripto jurerejurandòque pollicitus Regi fuerit non ulrum se illis nisi quandiu majestati ejus placuerit, destitutum porro statim ac certior factus fuerit Regem nolle ut illis amplius utatur. Debent etiam Legati jurare nihil se facturos adversus sancta Decreta, canones Conciliorum generalium, neque adversus Libertates & Privilegia Ecclesiæ Gallicanæ

aut

de Reynald. ad
an. 1165. 5. 61.

Apud Fleitor.
Bret. lib. 13. fol.
27.

aut Vniversitatum & Academiarum publicarum istius florentissimi regni. Ea de causa, & quia multa interdum continentur in facultatibus Legatorum quæ moribus nostris & juri recepto adversantur, primum Summus Pontifex Regem admonet destinasse se in Galliam Legatum, exempli causa, Ioan- nem, ut consensum ejus eliciat. Dein, cum Legatus attingit fines Galliarum, nuntium mittit ad Regem cum facultatibus suis, ut videre possit an aliquid in illis contineatur contrarium Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ aut juribus regis. Quia verò Princeps aliis negotiis occupatus, ista per se examinare non potest, facultates illas mittit ad Parlamentum Parisiense, simul mandans uti eas verificent & actis curiæ inscribant. Parla- menti verò officium est eas diligenter examinare, adnotare si quidprehenderint illic in- fertum adversus vetustos mores & publicam regni disciplinam; si nihil istiusmodi ad- verterint, in acta referre; si verò nonnulla repperint emendatione digna, his decerne- re non teneri Gallos, adeoque modum pe- regrinis decretis imponere. quod vulgò di- cimus modificare facultates Legati. Tum demum, si Rex permittat, Legatus utitur facultatibus suis sic modificatis & inflexis.

II. Hanc consuetudinem fuisse observa- tam antiquitus jam ostendimus, allatis etiam Bonifacij VIII. verbis, qui nobis istam prerogativam auferre conatus est. Ostenda- mus nunc illud ipsum exemplis posteriorum seculorum, quibus omnino firmatum est il- lud caput nostrarum libertatum & regiarum dignitatis.

III. Anno MCCCCLVI. Callistus III. delendo Turcarum imperio intentus Lega- tum in Gallias misit Alanum Coëtivum Ti- tuli sanctæ Prædixis Presbyterum Cardina- lem ad conquirenda pro tuitione Christiane fidei opportuna presidia & classem adversus imma- nissimum Turcum ejusque complices prepara- dum, publicandum quoque literas apostolicas cruciate, & alia magna & ardua negotia. Cum ea legatio decreta fuisset incio Karolo VII. Francorum Rege, ille pro munere suo cavens ne quid res publica detrimenti caperet, literas de legatione Alani publicari in Galliis vetuit, ut Odoricus Raynaldus ait. In literis tamen Callisti ad eum hoc an- no datis VII. Kal. Novembr. illud solum continetur, eum in concedenda publicatione li- terarum cruciate & indulgentiarum difficilem se præbere. Orat deinde Karolum Pontifex ob- testaturque per viscera misericordiæ Dei nostri ut patiatu prædicari subditis & in reg- nis ac dominiis suis sanctam Domini cruce- m literasque super hoc editas solemniter

Tom. II.

publicari. Quid ad hæc Princeps? Misso Avenionem Ioanne Bastardo Cantore Ec- clesiæ Parisiensis, hæc Legato dicenda man- davit. Regiæ majestati jus esse repellendi Legatos apostolicæ sedis, nullum porrò Cardinalem vel alium quempiam Legatum à latere ad se venire posse cum insignibus & auctoritate Legati, neque uti posse potesta- te & auctoritate Legati, in istius juris pos- sessione semper fuisse Karolum & ejus præ- decessores Reges Francorum. Nolle se ut Alanus utatur auctoritate Legati in regno ejus. Attamen se id certis quibusdam de cau- sis Alano tribuere, ut ad se accedat, cru- cémque ante se deferri faciat in regno, sé- que Legatum à latere nominet. Ista suscepit Alanus, usurum se illis pollicitus absque præ- judicio jurium Regis & regni ac successorum ejus aut Pragmaticæ Sanctionis, infecta de- cernens quæ forsitan contra facta ab eo fo- rent. Literas ea de re Cantori dedit Ala- nus apud Avenionem die prima Januarij an- ni sequentis.

IV. Eundem legationis suæ exitum ha- buisse Iulianum Roborem Tituli sancti Pe- tri ad vincula Presbyterum Cardinalem, quem anno MCCCCXXVI. adversus Tur- cas miserat Sixtus IV. ejus patruus, colligi potest ex verbis Odorici Raynaldi; qui ait illum, præter in Galliis acceptos honores, nullum eorum ob quæ missus fuerat ad vo- rum perduxisse. Scilicet obtulit Ludovicus XI. Rex Francorum; ne Legatus amplissi- ma potestate instructus quippiam ageret ad- versum jura regni & libertates Ecclesiæ Gallicanæ. Satis porrò dignitati ejus prospere- tum putavit, si magnificè haberetur pro more Legatorum.

V. Eodem anno Sixtus in Galliam mi- sit Nicolaum Sandoninum Episcopum Mu- tinensem cum amplissima potestate Lega- ti à latere. Iste verò gnarus jurium maje- statis & sacrosancta ea esse, Regi Ludovi- co XI. significare curavit nolle se uti au- ctoritate sua absque consensu ejus, neque aliquid agere adversus jura regni aut liber- tates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ, petere propterea ab eo uti se sineret uti potestate & facultatibus sibi à Summo Pontifice con- cessis. Præterea, idem Nicolaus literas sua manu subscriptas Regi dedit, quibus polli- cebatur non usurum se in regno facultati- bus suis adversus jura & libertatem regni, nisi quatenus facultates suæ modificatae erant & restrictæ per auctoritatem regiam, quas modificationes & restrictiones idem Legatus suscepit. His ita gestis, Ludovicus literis datis apud Turones die quarta Ia- nuarij anni sequentis potestatem Nicolao

Y

Probat. Libror. Eccl. Gall. cap. 23. §. 3.

Odor. Raynal. ad an. 1476. §. 3.

Probat. libror. Eccl. Gall. cap. 23. §. 4.

Callist. 3. apud Odor. Raynal. ad an. 1476. §. 3.

Idem, §. 1.

fecit, pro hac vice tantum, utendi facultatibus suis secundum modificationes ab eo approbatas; ea tamen adhibita cautione, ut hic regius consensus trahi non posset in consequentiam, neque ex eo quæri aliquod jus posset aut possessio adversus Regum Francorum majestatem aut jura, sive adversus libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ. Literas porrò Legati, quibus approbaverat modificationes in literis legationis appostas, misit Rex ad Parlamentum Parisiense, haud dubiè ut in acta Curie referrentur.

Odor. Raynald. ad an. 1430 & 31. & seq.

VI. Anno dein MCCCCLXXXIV. Kal. Maij Sixtus Legatum cum amplissimis facultatibus in Galliam misit Iulianum Prefbyterum Cardinalem Tituli sancti Petri ad vincula, cujus supra meminimus, ut pacem & concordiam revocaret inter Ludovicum Regem Francorum & Maximilianum Ducem Austriae. Sed antè quàm Legatus iste mitteretur, Sixtus in primis effecerat ut ei mittendo accederet consensus Ludovici, absque quo vanam & inutilem fore legationem pluribus jam experimentis compertum habebat. Itaque Rex, præfatus Legatum apostolicæ sedis in Galliam mitti non posse neque facultatibus suis uti absque consensu Regis, ac considerans istius legationem decretam fuisse cum consensu suo, edicit ut recipiatur velut Legatus à latere, & ut antelatione crucis & ceteris Legatorum insignibus uti ubique possit intra regnum præterquam in præsentia Regis, *fors en nostre presence*. Salvis tamen juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ & regni. Daturum porrò Legatum literas suas parentes & authenticas, quibus declarabit salvas esse nihilo minus libertates Ecclesiæ Gallicanæ & jura regni.

Probat. Libert. cap. 23. §. 1.

VII. Non extant illæ Legati literæ. In veteri tamen codice MS. Bibliothecæ regiae extat indiculus manu Petri Doriolæ Cancellarij scriptus, in quo enumerantur acta quæ ipse in Cameram Compotorum detulit die xv. Septembris ejusdem anni de legatione ejusdem Cardinalis. In hoc ergo indiculo, post literas Regis de quibus mox dicebamus, & post instrumentum protestationis factæ à Commissariis Regis, quæ edita est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, tertio loco compendio describuntur literæ ejusdem Legati datæ in loco sancti Symphoriani Auzonis die secunda Augusti, subscriptæ verò manu ejus & à Sigilmundo Secretario Summi Pontificis itémque à Magistro Marthæo Vaillant Secretario Legati. In his ergo literis declarat Legatus permissionem sibi à Rege con-

cessam ut legatione sua uti possit in Gallia trahi non posse in consequentiam, neque ex ea ullum præjudicium afferri juribus & privilegiis Regis aut regni.

VIII. Anno MCCCCLXXXIII. idem Sixtus Legatum in Galliam destinavit Ioannem Baluam Episcopum Albanensem, ut collapsam disciplinam ecclesiasticam restauraret. Quia verò ille, ut erat homo audax, *regnum Franciæ ingressus est licentia vel consensu Domini nostri Regis minimè petita seu habita, ejusque legatione minimè recepta, nisi est officium suæ legationis exercere, & quæcumque ad jurisdictionem ordinariam Archiepiscoporum &c. spectant & pertinent exercere, pluraque insolenter agere adversus sanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, Ioannes Nanterra nomine Regis, qui tum erat Karolus octavus, ab his gravaminibus appellavit ad sanctissimum Dominum Nostrum Papam Sixtum minus debite consultum ad ipsum melius consulendum, ac ad illum vel illos ad quem seu quos de jure provocare & appellare mihi licet.* Acta hæc anno Domini MCCCCLXXXIV. die xx. Augusti. Attamen eo tempore, cum maximè agitata fuisset hæc causa in sacro Consistorio & in Curia Parlamenti, permixtus est Balua uti insignibus Legati, *dempta facultate utendi * * * & aliis facultatibus*, uti decretum fuerat circa Cardinalem sancti Petri ad vincula vivente Ludovico Rege.

IX. Ea tempestate Balua, qui ad revocandam disciplinam ecclesiasticam missus à Sixto erat, gravem in Galliis contradictionem passus est in hoc capite. Episcopi enim alicubi congregati eam curam ad se revocarunt, insuperhabita Legati potestate. Is verò cum querelam ea de re suam ad Pontificem detulisset, licet in hoc Gallicanorum Episcoporum facinore *pietatis aliqua affulgeret species*, ut ait Odoricus Raynaldus, *aliquis tamen rem penetranti Pontifici indignum visum est ista ab Episcopis tentari, absurdumque illud esse & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans*. Itaque dolorem suum propter istam Episcoporum Gallicanorum audentiam percipit ad Ducem Borbonij, hortatus eum ut huic rei & incepto maximè improbando obstitere. Præstat autem integram epistolam referre, plenam videlicet antiqui moris. Sic ergo illa habet apud Odoricum Raynaldum.

Intelligimus electos esse nonnullos Prelatos in defensores & reformatores Ecclesiæ Gallicanæ. Quod cum sit absurdum, & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans, possitque ea res motus & perturbationes excitare & pessimo exemplo esse, hortamur nobilitatem tuam ut suam in

Odor. Raynald. ad an. 1433. §. 1.

Probat. Libert. cap. 23. §. 1.

Idem §. 1.

Odor. Raynald. ad an. 1433. §. 1.

hoc pietatem, quemadmodum in aliis fecit & factura esse videtur, erga hanc sedem ostendere velit & huic rei & incepto maxime improbando obviare, ne locum habeat. Ad nos enim spectat, si quid Ecclesia Gallicana deest, providere, qui & possemus & volumus, opportunè procurare & agere quæ necessaria ad illius defensionem essent &c. Datum Romæ die XXIV. Decembris MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno XIII.

X. Inutile esset omnia persequi quæ posterioribus temporibus acta apud nos erga Legatos sunt. Quippe ista diligenter collecta à clarissimo viro Petro Puteano, in omnium manibus versantur. Præterea, illustrissimus Archiepiscopus ista, breviter quidem, sed tamen satis accuratè executus est in libro sequenti, ut necesse non sit ea heic repetere. Reliquum igitur est ut nonnulla dicamus de moribus Hispanorum, qui vicini nobis sunt, & qui licet à nobis in plerisque dissentiant, in hoc tamen consentiunt quòd Legatorum & Nuntiorum facultates apud eos examinantur in Consilio Regis. Auctor enim est Didacus Covarruvias apud Hispanos potestatem seu facultatem Legatorum seu Nuntiorum apostolicæ sedis examinari, ut admoneri possint à summo Regis prætore, inquit, quibus uti conveniat dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Reipublica dispendium, cum plerunque Nuntij apostolici exteri sint, nec satis noverint quæ sint præcavenda, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur. Addit Franciscus Salgandus ex Enrique, quòd quando Nuntius aut Legatus à latere mittitur in Hispaniam à Summo Pontifice, in more habet Senatus Regis petere ut ostendat facultates commissas à Pontifice, non animo examinandi idoneitatem personæ missæ, sed ut hunc jubeat quem literis patentibus constat esse Nuntium aut Legatum Papæ, & ut adhibeatur ei fides in iis quæ pertinent ad munus suum.

XI. Sanè æquum prima fronte viderur ut is qui in provinciam venit cum potestate extraordinaria, fidem faciat auctoritatis suæ per literas ejus à quo mittitur. Legatus ergo, ut rectè adnotat Nicolaus Boërij,

prùs non est tanquam Legatus recipiendus, nisi primò visis suæ legationis literis. Cum enim nunquam apostolicæ sedis moris fuerit absque apicibus undecunque legationem suscipere, nec alij etiam sine literis suos recipere coguntur; ut adnotat idem Boërij. Deinde addit: Et ita servatur hic in regno Francia: quia antequam intres regnum, & suo utatur legationis officio, jurat servare juraregni intacta & ordinationes regias. Et ejus potestas solet in suprema Parlamenti Parisiensis curia registrari.

XII. Hactenus ergo egimus de dignitate & auctoritate Legatorum sedis apostolicæ, quomodo ab exiguis primùm initiis profecta, magnis subinde incrementis aucta, deinde paulatim viluerit apud Francos & alias Christiani nominis nationes. Vidimus ingentes Pontificum Romanorum ac Legatorum conatus uno seculo frustra fuisse, alio valuisse. Deploravimus insatiabilem & inverecundam quorundam cupidinem & avaritiam, qui abjecta omni modestia & reverentia religionis, nihil reliquum fecerunt ut ad magnas opes pervenire possent, quocunque tandem modo per fas seu nefas pararentur. Laudavimus deinde sanctas illas beatorum hominum mentes, qui manus suas abstinentes à muneribus & donis, castè & incorruptè provincias cum summa auctoritate administrarunt. Descendimus postea ad consensum Regum, quatenus Legatis necessarius est in explicatione potestatis eorum, & ad morem in regno Franciæ & alibi usurpatum circa eorum facultates. Hæc autem omnia executi sumus amore veritatis, non odio privato, neque ea mente ut in quemquam simus contumeliosi. Nobis semel destinatum est nemini injuriam aut contumeliam inferre. Quòd si ista feliciter & utiliter scripta sunt, Deo, à quo est omne bonum datum optimum, gratiæ agendæ sunt. Sin verò res bono consilio suscepta, malo exitu finita est, meminerit lector hominem me esse, multaque mihi deesse quæ necessaria sunt ei qui res tam arduas tractare in animo habeat. Hos tamen conatus meos publicæ utilitatis causa susceptos æqui bonique consulat.

A D D E N D A.

CAPITE LI. §. XIV. linea XXIII. ante illa verba, Hinc factum, adde. Immo mittens anno MCCC. in Hungariam Nicolaum Episcopum Ostiensem, ei concessit potestatem compellendi Archiepif-

copos, Episcopos, Abbates, & ceteros ecclesiastici ordinis viros, etiam monachos exemptos & non exemptos, per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus tibi debitis, non obstantibus quibuslibet pri-